

« tores, qui potius exemplo quam verbis prædicare debent, pro viribus  
« efficere deberent ut jejunium observarent. Nec assentiri possum, gene-  
« raliter loquendo, iis Doctoribus qui etiam excusant eos concionatores  
« qui ter aut quater in hebdomada concionantur. — Attamen plures cum  
Elbel magis BERNARDO indulgent.

473. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Confessarius, *per se*, a jejunio non excusatur; sed, *per accidens* excusari potest, si ad laborem extraordinarium incumbat, ita ut jejunando muneri suo satisfacere non possit. *S. Lig. Hom. ap. tr. 12, n. 34, in fine.*

474. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Magistri scientiarum excusantur, etiamsi per unam horam singulis diebus doceant, si magno studio et labore indigeant ad lectiones præparandas; non vero si lectiones jam prius ordinatas, vel sæpius repetitas exhibeant. Excusandi sunt etiam *probabiliter* magistri grammaticæ, si in die per quinque horas doceant cum magna defatigatione. *Sanchez.* — *Azorius*, etc. Discipuli autem excusandi non sunt a jejunio, generatim loquendo; quia ad studium adeo arduum non tenentur, vel de eo aliquid remittere possunt. Videntur tamen excusandi si secus studium necessarium vel magni momenti tempore Quadragesimæ omittere deberent. *Azor.* — *Castropalao.*

## CASUS XII.

EXCUSATIO A JEJUNIO 3<sup>o</sup>.

STRIGONIUS nollet sane jejunii legem infringere, licet ea valde ipsi onerosa sit. Sed ecce! industriam excogitavit qua tum liberius stomacho indulgeat, tum a peccato immunis evadat. Quomodo faciet? accipe multifariam calliditatem: 1<sup>o</sup> Aliquando suscipit durum laborem sibi prorsus insuetum, et jam propter nimiam defatigationem impotens ad jejunandum efficitur. 2<sup>o</sup> Alias pergit tota die ad venationem valde arduam per montes et saltus et valles, nec proinde jejunare valet. 3<sup>o</sup> Alias piam suscipit peregrinationem pedester, pro qua peragenda 15 vel 20 milliaria percurrere debet, et iterum a jejunio ob impotentiam saltem moralem excusatur.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *An labor insuetus susceptus ex causa honesta, vel etiam indifferente, a lege jejunii excuset?*

2<sup>o</sup> *An pia peregrinatio, longa et pedibus suscepta, a jejunio liberet?*

3<sup>o</sup> *An STRIGONIUS a jejunio sit immunis in prædictis casibus?*

SOLUTIO:

475. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Neg. per se loquendo*, seu, nisi adsit aliqua ratio gravis determinans ad laborem suscipiendum, v. g. aliqua necessitas sua vel aliena, occasio lucri extraordinarii, etc... Ratio est, quia, ad se eximendum a gravi obligatione, requiritur ratio proportionate gravis. Ergo non sufficit causa simpliciter honesta, vel indifferens, ut est ratio recreationis, v. g. ad venandum, ludendum pila, ad itinerandum pro invisendis cogna-

tis aut amicis, etc... Si quis, suscepto illo labore, sit adeo defatigatus ut jejunare nequeat, non tenetur quidem ad jejunandum; sed graviter peccavit ponendo causam proximam jejunium impediens, si impedimentum præviderit. Secus vero dicendum de iis qui exercent artes laboriosas cum jejunio insociabiles; quia damnum grave subirent, si a labore consueto abstinere deberent, quoties jejunandum est. *S. Lig. n. 1046.* — *V. Comp. n. 511.*

476. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Neg. per se*, quia ratio pie peregrinandi non est causa necessaria, neque valde gravis, saltem si pia hæc peregrinatio ad aliud tempus remitti possit. Excusat *S. Lig. n. 1048*, peregrinationem ad loca sacra susceptam in magnum Dei honorem, aut communem ædificationem valde notabilem, v. g. si peregrini sint magnæ auctoritatis. Attamen, si peregrinatio jam suscepta fuerit, et interim dies jejunii occurrat, non est obligatio eam intermittendi, ut jejunium servetur. *S. Lig. ibid. et alii communiter.*

477. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* STRIGONIUS in nullo ex dictis casibus excusari potest a jejunii obligatione ob duplicem rationem, scilicet: 1<sup>o</sup> Quia egit in fraudem legis; *fraus autem nemini patrocinari debet.* Etenim apposuit causam directam ad legem jejunii eludendam; porro nunquam licet apponere impedimentum *directe* impediens aliquam obligationem; seu, nunquam licet agere cum *directa intentione* legem omittendi. Nam, dum aliquis subjacet imperio legis, non potest velle eam infringere, cum talis voluntas jam sit ipsius legis violatio. *V. Comp. de Leg. n. 110.* 2<sup>o</sup> Quia, etiamsi STRIGONIUS non poneret causam *directe* impediens jejunium, sed ex alio fine laborem susciperet, attamen non excusaretur ob defectum rationis proportionate gravis, ut jam dictum est.

## CASUS XIII.

ABSTINENTIA A CARNE 1<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> NICODEMUS, absque scrupulo, frustulum unum vel alterum carnis, diebus prohibitis, manducat; quia, ait, *parum pro nihilo reputatur.* — Alias facile comedit pulmentum, offam, aut lactucas, jure ex carne, aut sagimine, vel larido liquato conditas; nec in hoc graviter peccare putat, quia carnes solæ præcise ab Ecclesia prohibentur. Alias carnes reliquas ex convivio die Jovis instaurato, die sequenti comedit, quia in diem Dominicam asservari nequeunt.

2<sup>o</sup> PERPETUA, pauperula, confitetur se præparasse pro se suisque prolibus cibum sagimine conditum diebus prohibitis, ex eo quod butyrum nec oleum habuerit; item se manducasse frustula carnis in eleemosynam accepta. A Confessario graviter reprehenditur.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quænam sit materia gravis vel levis in hac lege?*

2<sup>o</sup> *Quænam sint carnes prohibitæ?*

3<sup>o</sup> *Quid de NICODEMO? Quid de cauponibus qui die Veneris carnis reliquias comedunt?*

4° *An pauperes carnibus vesci possint? Quid de PERPETUA, et de aliis qui sagimine utuntur, quia minoris emitur quam butyrum?*

SOLUTIO :

478. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* *Controvertitur.* Gravis est, juxta omnes, materia quæ satis nutrit, ita ut finis legis graviter deficiat. *S. Lig., n. 102,* dicit gravem materiam reputandam esse eam quæ octavam uncie partem excedit. *Voit* admittit ut levem materiam eam quæ æquivalet nucis avellanæ quantitati (*une grosse noisette*).

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Nomine carnis prohibita veniunt omnia animalia, in terra viventia, juxta regulam a sancto Thoma traditam. Hinc non prohibentur pisces, ranæ, limaces, etc. *S. Lig., n. 1011.*

479. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* NICODEMO ingerendus est scrupulus. Etenim, 1° quidem errat innitendo axiomate : *Parum pro nihilo reputatur.* Etenim in violatione legis parum est materia levis, et proinde peccatum veniale, nisi adeo exigua sit materia, ut revera minime ad finem legis conducatur. 2° Deinde graviter peccat, si frustulum carnis quod comedit non sit adeo leve, juxta superius dicta, præsertim si uni frustulo alterum superaddit. 3° Peccat mortaliter, *per se,* manducando offam vel alia sagimine aut jure carnis condita; hæc enim sub Ecclesiæ prohibitione cadunt. Excipe, nisi reapse minima quantitas condimenti illius adhibetur. 4° Peccat etiam mortaliter, reliquas carnes ex convivio pridie habito, die Veneris comedendo. Nec valet excusatio quam adducit, ne scilicet pereant : ratio enim adeo exigua a gravi lege excusare nequit. Idem de cauponibus similiter facientibus dicendum est.

480. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Permittitur pauperibus mendicantibus, carnibus vesci, quando nihil aliud habent. Illis ergo licet dare reliquias ciborum, qui certis diebus prohibentur. Hortandus igitur NICODEMUS et supradicti caupones ut carnes ex die Jovis superfluas in eleemosynas erga pauperes erogent, ne pereant. PERPETUÆ vero est omnino indulgendum, et de nimio rigore arguendus Confessarius. Peccant autem graviter ii qui utuntur sagimine ex eo quod minoris ematur quam butyrum, nisi adeo sint pauperes ut aliter facere nequeant absque magno incommodo. Ipsis suadendum est ut rem deferant Parocho qui, si opus sit, dispensabit. *V. Comp. n. 485 et seq. et n. 502.*

#### CASUS XIV.

##### DE ABSTINENTIA A CARNE 2°.

EDUARDO, Confessario, occurrunt varii generis poenitentes, qui variis prætextibus abstinentiæ legem posthabere non dubitant : 1° Viatores, præsertim mercatores, qui carnes comedere solent, ex eo quod, ut aiunt, nihil aliud inveniant, vel nimis in itinere defatigantur, vel ab aliis dissentire non audeant. 2° Mulieres prægnantes aut lactantes, et operarii magno labori operam dantes, ideoque a lege abstinentiæ sicut a lege jejunii se exemptos

existimantes. 3° Aurigæ et muliones, qui carnibus se reficiunt, ex eo quod magnas experiantur defatigationes, et vix ad bucellam deglutiendam, in cauponis, tempus habeant. 4° Milites carnibus vescentes, non solum in castris aut in contubernio, sed etiam in itinere, in domo paterna, aut apud alios. Item duces militum, qui extra contubernium propriis expensis aluntur, præsertim præpositi inferiores, qui cum aliis societatem mensæ ineunt ut minores expensas faciant, et modica pensio a Gubernio accepta ipsis subvenire possit.

HINC :

QUÆR. 1° *An peregrini a lege abstinentiæ excusentur?*

2° *An mulieres prægnantes, vel lactantes? An operarii duris laboribus vacantes?*

3° *An aurigæ, muliones, et alii similes?*

4° *An milites in contubernio, vel extra contubernium?*

SOLUTIO :

481. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Peccant graviter peregrini qui, timore ducti, ne scilicet ab aliis dissentire videantur, carnes in diversoriis publicis comedunt, ut patet. Nonne de omni lege actum esset, si hujusmodi excusatio admitteretur? Plerumque graviter etiam peccant prædicti peregrini carnibus vescentes, sub prætextu quod nihil aliud reperiant, vel nimis defatigantur, quia plerumque sunt vanæ excusationes. Numquid cibos licitos petierunt, et quidem enixe instando? Numquid hospitatoribus significarunt sese recessuros, nisi petitioni obtemperarent? Qui fit ut viri religiosi generatim absque tanta difficultate legem Ecclesiæ adimpleant? Quod autem ad defatigationem spectant, quot sunt qui domi legem abstinentiæ servant, licet in duros labores incumbant, et multo magis defatigantur! Quid igitur sæpius deficit? vera voluntas. Attamen admittendum est peregrinos ad legem Ecclesiæ non teneri cum valde gravi incommodo : esset autem incommodum valde grave, si nihil aliud reperirent nisi panem et caseum, vel si notabiliter stomachus labefactaretur.

482. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1° Mulieres prægnantes aut lactantes certo quidem a jejuniis excusantur, non vero *per se* a lege abstinentiæ. Facile tamen prægnantibus indulgendum est, si carnibus refici multum cupiant, ne repulsam ægre ferant, et inde foetus detrimentum patiantur. 2° Neque operarii duris laboribus vacantes sunt *per se* ab eadem lege excusandi, licet ad jejuniis minime teneantur. Sed admittendæ sunt exceptiones. Sic indulgendum erit iis qui in officinis vitreis vel ferreis, aut in fodinis metallicis, carbonariis et similibus, vitam degunt.

483. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Non excusantur *per se* rhedarii et muliones, quia plerique currus, equos aut mulos ducentes, et in cauponis pernoctantes, non tantam experiuntur defatigationem, ut a lege abstinentiæ dispensari possint. Attamen excipiendi videntur ii qui itinera longa et difficillima, præsertim hiemali tempore, peragunt. — Item qui currus publicos diu noctuque plurimis continuis diebus dirigunt, quibus vix tempus bucellam unam vel alteram festinanter deglutiendi suppetit.

484. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Excusantur milites qui in castris vel contuberniis versantur, et expensis Gubernii in communi nutriuntur, quia carnes semper ipsis ministrantur, et absque nimia difficultate alii cibi præberi non possent. — Secus autem dicendum de militibus iter agentibus privatim et propriis sumptibus, saltem *per se*. — Item de militibus in domo paterna degentibus, licet ad breve tempus. — A fortiori idem dicendum est de officialibus proprio peculio se reficientibus, nisi forte excipias officiales secundarios exiguum stipendium percipientes, et, ratione necessariæ parcimoniæ, communi mensæ assidentes cum pluribus alii legi Ecclesiæ obtemperare recusantibus. *V. Comp. n. 487.*

## CASUS XV.

## DE ABSTINENTIA A CARNE 3°.

TORQUATUS, ruricola, diebus quibus carnes prohibentur, sæpius tendit in urbem, a qua tribus horis distat, cum curru onusto lignis in foro publico vendendis. Tunc autem carnibus se reficit, his ductus rationibus : 1° quia caupo ad quem divertit solas carnes hospitibus ministrat; 2° quia socios habet itineris et conditionis, qui in hoc hospitium se recipiunt, et difficile ab iis separari potest; 3° quia prandium remittere debet ad horam tertiam vel quartam pomeridianam, negotiorum causa, cum magna stomachi defatigatione, et summo mane ante profectum jentare debuit. Sed notandum TORQUATUM domi versantem aliis abstinentiæ diebus absque ullo incommodo abstinere a carnibus, licet duris agricolæ laboribus operam jugiter impendat.

HINC :

QUÆR. *An TORQUATUS a peccato excusari possit? — Et an absolvendus sit, nisi legem Ecclesiæ se servaturum esse promittat?*

SOLUTIO :

485. — *R. Neg. ad utrumque.* Etenim rationes a TORQUATO adductæ non sufficiunt. Nonne cibos licitos facile obtineret, si intentionem hospitium nunc et in futurum derelinquendi manifestaret, nisi eæ dapes sibi ministrarentur? Numquid rationem hanc expertus est? Non apparet; sed esto, reapse hospitium derelinquat, et a sociis impiis divertat: quare adeo difficile ab iis separari potest, nisi respectu humano inductus? Si serius refectionem sumpturus sit, non carent rustici modis quibus stomachum interea corroborant. Hæc omnia agendi ratione TORQUATI domi degentis plane confirmantur. Ergo neque excusandus est TORQUATUS neque absolvendus, nisi firmum propositum de futura emendatione emittat.

## CASUS XVI.

## DE ABSTINENTIA A CARNE 4°.

EPIPODIUS, caupo, carnes diebus prohibitis hospitibus etiam non petentibus, ministrat, ob varias rationes, nempe: 1° quia aliis cibis caret; 2° quia omnes fere viatores carnibus tantum vesci solent; 3° quia, cum

redeant sæpius iidem hospites, novit illos alios cibos respuere. Admonitus autem a Confessario ut saltem cibos licitos simul cum carnibus in mensa apponat, obtemperare abnuat ob nimias expensas quas ad hoc facere deberet.

HINC :

QUÆR. 1° *An caupones carnes omnibus petentibus, imo et non petentibus ministrare possint?*

2° *An requiratur, vel satis sit ut cibos licitos apponant?*

SOLUTIO :

486. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° Non licet generatim cauponibus carnes ministrare die vetito, advenis non petentibus, quia esset vera cooperatio peccatis aliorum sine ratione sufficienti. 2° Licet autem ex consuetudine universali carnes præbere petentibus, quia inter peregrinos confluentes possunt reperiri non pauci qui, præ infirma valetudine, stomachi debilitate, aut etiam obtenta dispensatione excusentur; et insuper nimium foret incommodum, si singuli, de causis propriis carnes edendi, interrogari deberent.

487. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Omnino requiritur, et generatim satis est, in majoribus diversoriis in quæ confluunt multi hospites, ut cibi liciti simul et carnes in mensa apponantur. Saltem caupones se ostendere debent benevolos et paratos ad tales cibos omnibus requirentibus statim concedendos. *Bouvier, de Præcept. Eccl. — Gousset, de Virtut. n. 305. — V. Comp. de Virt. n. 255.*

## CASUS XVII.

## DE PROMISCUITATE CARNIS ET PISCIIUM.

PANCRATIUS, non minus piscium quam carniū appetens, epikei autendum esse ratus circa legem Ecclesiæ qua prohibetur carnis et piscis promiscuitas, toto quadragesimali tempore carnibus varii generis immiscet, condimenti instar, pisciculos sale siccatos, caneros (*écrevisses*) cum aquis limacibus, et infumatos harengos, arida testacea marina, ut ostreas (*huîtres*).

Alias autem, ob valetudinem sat infirmam, tota Quadragesima naturaliter dispensatus a lege jejunii, ut videbatur, nulli carniū et piscium generi pepercit, ratus quod, interveniente dispensatione, nulla ligaretur condicione. Postea vero, quum paulo magis convalesceret, postulata ad tutius dispensatione ad esum carnis, jure tantum ex carne utitur, ut esui piscium indulgere possit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quando et quomodo urgeat præfata lex Ecclesiæ?*

2° *An in his omnibus PANCRATIUS noster bene suæ conscientiæ veluti stomacho consulat?*

## SOLUTIO :

488. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* — Lex vetans ne dispensati in esu carniū pisces simul cum carnibus misceant, urget non solum decurrente quadragesimali tempore, sed etiam cæteris diebus quibus est jejunandum de præcepto Ecclesiæ, non vero aliis diebus quibus servanda est carnis abstinentia absque jejuniō. Sic ex epistola *Bened. XIV, In suprema*, et ex responsione *S. Pœnit.* 1834. — *V. S. Lig. n.* 1015. Sic autem intelligenda est præfata prohibitio, scilicet, ne quis in eadem refectione pisces simul et carnes manducet. Verum licet pisces edere in alia refectione in qua carnes non manducantur, etiamsi eadem die id fieret, v. g. ab eo qui a jejuniō est dispensatus.

489. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Nimis ampla utitur epikeia PANCRATIUS noster. Non potest enim edere simul cum carnibus pisciculos sale siccatos, neque harengos, caneros, ostreas, aliave testacea marina, ut constat ex decisione *S. Pœnit.* 16 Jan. 1834. Eadem ratione limaces et ranæ prohiberi debent, cum instar piscium edantur, quando esus carniū prohibetur. 2<sup>o</sup> An vero naturaliter PANCRATIUS a lege jejunii et abstinentiæ dispensatus potuerit licite pisces carnibus admiscere, *controvertitur*. *S. Pœnitentiaria* hac de re interrogata respondit : « Consulat quisque probatos auctores. » Hinc probabiliter non peccavit (1). Tandem utrum, dum convalesceret, obtenta dispensatione ad carnis esum, jure tantum carnis utendo, simul piscibus refici potuerit, respondendum est *affirmative*, ut constat ex Declaratione *S. Pœnitentiariæ* 1828. — *V. Comp. n.* 504, 514, 515.

## CASUS XVIII.

## DISPENSATIO A LEGE ABSTINENTIAE.

DRUSUS : 1<sup>o</sup> dispensatione in sua diœcesi tempore Quadragesimæ generaliter concessa utitur, etiam iter agens extra diœcesim, licet nulla ibi vigeat dispensatio; 2<sup>o</sup> cum autem ratione infirmitatis jejunare non valeat, pluries in die carnibus reficitur; 3<sup>o</sup> præscriptam eleemosynam, vel orationem ex incuria omittit, ratus obligationem hanc, legi abstinentiæ subrogatam, levem esse, ut ipsam materiam.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An DRUSUS potuerit edere carnes extra diœcesim, licet nulla ibi concessa fuerit dispensatio? et quid, si ipsemet ob infirmitatem fuisset dispensatus?

2<sup>o</sup> An pluries potuerit refici carnibus, si pro infirmitate ad jejunandum impotens fuerit?

3<sup>o</sup> An graviter peccaverit omittens eleemosynam vel præscriptam orationem, licet utraque materia in se levis appareat?

(1) Prohiberi permixtionem carniū et piscium etiam iis qui propter ætatem, impotentiam vel laborem excusantur a jejuniō, declaravit S. R. et U. Inquisitio, die 23 junii 1875 et 15 mart. 1841. — *V. Comp.* (edit. Mame, 1881, n. 514, 5<sup>o</sup>).

## SOLUTIO :

490. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> Dispensatio generaliter concessa est *territorialis*, nec extra diœcesim valet, nisi ibidem eadem dispensatio imperita fuerit. 2<sup>o</sup> Si vero ipsemet sit dispensatus, etiam extra diœcesim dispensatione uti poterit, quia dispensatio *personalis* ipsi personæ dispensatæ inhæret, eamque comitatur.

491. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Affirm.*, quia restrictio ad unam vicem in die afficit tantum jejunantes, qui semel tantum in die carnibus refici possunt. Nihil igitur obstat quominus illi qui jejuniū ratione infirmitatis servare nequeunt, pluries in die, et quidem toties quoties volunt, carnibus vescantur. Constat etiam ex Declaratione *S. Pœnit.* an. 1834.

492. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Aliqui *affirmant*, quia, aiunt, Episcopus dispensando, ex delegatione Summi Pontificis, censetur facere quamdam commutationem inter obligationem abstinentiæ et opus facilius, et proinde opus subrogatum obligationem abstinentiæ repræsentat, eamque induit, nisi de mente diversa Superioris constet. Episcopi nonnulli hanc esse mentem suam in Litteris pastoralibus declararunt (1). Attamen generatim non videntur Episcopi velle rigorosam commutationem facere; sed *probabilius* dicendum est eos intendere *principaliter* dispensare, et *accessorie* aliquod opus pium in quamdam satisfactionem levem imponere. Sic generatim a fidelibus dispensatio apprehenditur, ita ut illi mirentur si mentio de culpa gravi fiat pro omissione rei in se levis. Vide insuper dicenda de satisfactione in *Tract. de Pœnit. tom. II Compendii*, ubi asseritur, cum *S. Lig. et aliis*, materiam levem non esse capacem obligationis gravis, etiam probabilius, si hæc materia levis locum operis gravis teneat; quia obligatio secundum materiam mensuratur, et magis attenditur ad *materiam in se spectatam* quam ad *ejus causam* *S. Lig. n.* 517.

## CASUS XIX.

## DISPENSATIO SABBATICA.

CORNELIUS, caupo, versans in diœcesi in qua facultas edendi carnes die sabbati singulis petentibus conceditur, hac obtenta, privilegium extendit ad familiam integram, ad amicos et cognatos a quibus invisitur, licet veniant ex alia diœcesi in qua ea dispensatio non conceditur; imo ad omnes hospites, qui ad suam tabernam divertunt. Ipse autem hac licentia utitur, non domi tantum, sed etiam peregrinando extra diœcesim, per loca diversa, in quibus hujusmodi dispensatio inaudita est.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An CORNELIUS potuerit extendere licentiam quam obtinuit, ad familiam, cognatos, vel amicos?

(1) Mandement de Mgr l'évêque de Montpellier pour le Carême de 1861.

- 2<sup>o</sup> *An ad extraneos, qui propriis expensis in caupona reficiuntur?*  
 3<sup>o</sup> *An etiam iter agendo extra diocesim carnes edere possit?*

SOLUTIO :

493. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirmative*, seu potest CORNELIUS facultatem obtentam extendere ad integram familiam, ad domesticos, atque ad omnes amicos aut alios quos gratuito hospitio in domum admittit. Sic enim privilegium istud communiter intelligitur in locis quibus concessum est. Sic etiam a variis Episcopis declaratum fuit. Satis est igitur si caput familiæ facultatem edendi carnes die sabbati petat, ut tota familia, amici, famuli, operarii et hospites titulo gratuito, in privilegio communicare possint. Potest etiam membrum familiæ quodcumque facultatem eandem pro tota familia obtinere. Ergo CORNELIUS sub illo respectu non est inquietandus.

494. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Negative*. Peregrini qui propriis expensis in hospitio reficiuntur, ejusdem dispensationis participes fieri nequeunt; quia de mensa patrisfamilias non edunt, cum ipsimet pecuniam pro victu retribuunt, nec proinde de familia, etiam in latissimo sensu, esse censentur. Ergo caupones dispensati, ut carnes die sabbati edant, eodem titulo carnes hospitibus suis ministrare nequeunt. Ergo in hoc casu culpandus est CORNELIUS.

495. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* CORNELIUS non potest uti facultate accepta extra diocesim. Ratio est, quia prædicta dispensatio censetur primario localis, et obligatio petendi facultatem pro singulis, vel saltem pro familia, est conditio sine qua non ad usum dispensationis generalis, ut per eam ostendatur submissio et reverentia erga Ecclesiam. Etenim Summus Pontifex, concedendo variis Episcopis facultatem generalem in esu carnis cum suis subditis dispensandi die sabbati, attendit ad difficultates et necessitates locorum. Ergo CORNELIUS non potuit carnes edere extra diocesim die sabbati, vi facultatis in suo loco obtentæ, nisi eadem gratia concessa sit in loco per quem transit.

496. — Confirmatur etiam Decisione *S. Cong. Inquisit.*, data pro Belgio, die 10 Jun. 1855, quæ ad alia loca applicanda est propter causæ paritatem; sic autem perhibetur postulatum cum data responsione :

« BEATISSIME PATER,

« Illustrissimi Episcopi Belgii petierunt, anno 1853, a Sua Sanctitate, « ut dignaretur auferre legem qua prohibetur esus carnum in die sabbati. Sua Sanctitas non abrogavit legem illam; sed dignata est concedere Illustriss. Episcopis Belgii facultatem dispensandi circa illam, cum illis qui peterent dispensationem.

« Inde exponitur humillime infrascriptum dubium : *Utrum, obtenta dispensatione, peregrinantibus extra Belgium liceat comedere carnes in locis in quibus viget ista lex?* »

« FERIA IV die 10 Januarii 1855.

« In Congregatione generali *S. Rom. et universalis Inquisitionis* habita in conventu *S. Mariæ supra Minervam*, coram *EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalibus*, contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, et præhabito voto *DD. Consultorum*, iidem *EE. DD.* decreverunt : *Negative*.

« ANGELUS ARGENTI,

« *S. Rom. et univers. Inquisitionis Notarius.* »

(*Analecta Juris pontificii*. — 23<sup>e</sup> livraison, Nov. 1857.)

*Recole dicta supra, de Leg. n. 140.*

## CASUS XX.

### DISPENSATIO IMPLICITA.

BERTOLDUS, paterfamilias, justa de causa nominatim dispensatur a lege abstinentiæ pro occurrentis Quadragesimæ tempore. Hoc cognito, uxor ejus jubet ancillæ ut paret quidem carnes pro viro, cibos autem esuriales pro se, filiis et familiaribus cæteris. « Quid est hoc, exclamat mussitans BERTOLDUS? Ego sum dispensatus, et volo ut tota familia meo privilegio utatur. » Uxor autem anxia quærit a Confessario utrum obtemperare possit?

HINC :

QUÆR. *An reapse tota familia carnibus vesci possit in prædicto casu?*

SOLUTIO :

497. — *R. Affirm.* Constat ex responsione *Penitentiarix*, data die 16 Jan. 1834. Etenim sic quæsitum fuerat : « Utrum, cum paterfamilias qui a lege abstinentiæ a carnibus, tempore Quadragesimæ, dispensatur, non potest aut non vult cibos utriusque generis parari, ejus filii, aut familiares, carnes edere possint? »

*S. Pœnit.* respondit : « Posse personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrisfamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die, pro iis qui jejunare tenentur. » *V. Comp. n. 513.*